

PRÆFATIO.

DE subsidiis, quibus in hac fabula adornanda usus sum, pauca sunt quæ lectores monitos velim.

In Museo Critico Cantabrigiensi T. II. p. 488. librum indicavi quem mihi tractandum permisit V. D. Joannes Mitford, cujus in margine exaratae sunt permultae in Æschylum conjecturae, litteris (A.) et (P.) signatae. Qui has varietates adscripsit, Casauboni aequalis erat; namque ad Prometh. p. 14. ita scribit de vv. αἰθέριον κίνυγμα. “Elegantiam hujus loci humaniss. Casaubonus me docuit.” Conjecturarum auctores dicuntur *Portus* et *Auratus* p. 245. ipsae autem lectiones desumptae sunt, uti par est credere, ex libris quos isti manu exaraverant. Aliae sunt nescio cujus conjecturae in hoc exemplari notatae, quas littera (Q.) signavi. Josephi Scaligeri lectiones, quae in eodem libro continentur, descriptae sunt ex codice Vossiano, qui in bibliotheca Leidensi adservatur. Hoc didici ex observatione quadam in Eum. 801.